

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**I. N. J. Damnabilis Socinianismi Gangræna, h. e. De Sectæ
Socinianæ Natura, Autoribus, Antecessoribus atqve
Progressu Dissertatio Historico-Theologica**

Engelken, Heinrich Askan Engelken, Heinrich Askan

Rostochii, [1706]

VD18 13121898

Sect. I. De Socinis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-13678

Verum postulatum illud iniquum est, quia ipsi Sociniani non solum Nosmet Aug. Conf. Socios, Lutheranos, bonam quidem cum pace nostram; sed etiam eos, qui Reformati audire gaudent, contra eorum voluntatem scientes Calvinianorum nomine appellare consueverunt. Vid. *Wissowat. in narrat. compendiosâ adjunctâ Bibl. Anti-Trin. Sandii p. 212.* Solent hi homines communiter etiam appellari *Neo-Ariani & Neo-Photiniani.* Verum sicut posterius nomen satis conveniens est, ita prius non nisi in generalitate quâdam adhibere licet, cum per idipsum stricto sensu secta Socinianis contradistincta indicetur; quæ de re post. De nominibus *Pinczoviorum & Racczviensium,* in ipsa quoque tractatione sequenti mentio occurret. Interim, cum hodiè Sociniani sint notiores, ea appellatione interdum Anti-Trinitarii moderni generatim denotari solent.

CAP. II.

Seçt. I.

DE SOCINIS.

§. I.

Cum a Socinis, prout audivimus, secta hæc merito denominetur, operæ pretium erit, in hoc Cap. Sectionem I. assignare eorum, quæ circa Socinos occurrunt, considerationi; deinde verò Sect. II. de *antecessoribus,* ac denique Sect. III. de *progressu* Sectæ damnabilis aliquid adducere.

§. II. Lælius itaque Socinus, qui *Fausto atque aliis ingredienda, quam postea secuti sunt, via Dux & Auctor exstitit* (ceum loquitur *Eques Polonus, Auctor vite Socini* operibus ejus præmissæ, qui est *Samuel Przcovius,* juxta *Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 123.*) *Mariani Junioris, Jctorum tunc Principis dicti, quemadmodum Familia Socinorum Principatum quendam in studiorum Juridicorum genere per aliquod tempus tenuit, atque Camilla, Pauli Salvetti, Nobilis magnaque in autoritate apud Florentinos cum gente suâ viventis viri, natæ filius fuit, Senensis Hetruscus, in lucem editus Anno 1525. A Patre studio dicatus juridico, humanarum legum scientiam ex ipsis divini Juris fontibus hauriendam sibi putavit, ceum idem loquitur Polonus; optimo sanè instituto, siquidem Spiritum DEI in S. literis loquentem, quam rationem corruptam, in explicandâ ScripturâS, (quæ nunc potius depravavit,)*

vavit) audire maluisset. Verùm quia non secus ac aranea venenum ex optimis collegit floribus; ea, quæ judicio ipsius perverso adversabantur, temerè rejiciendo, ipsasque scripturas ad instar nasi cerei contra naturam earum flectendo, hæresin confecit pessimam. Audiamus verba Equitii jamjam citati: Dum (Lælius) s. literas impensius evoluit, ait, deprehendit plurima ex iis, quæ vulgò receptæ sunt, Ecclesie dogmatis, divinis testimoniis (juxta mentem ipsius puta detortis) planè adversari. Si causam quæris, audi ipsa sequentia verba: idque tanto facilius (hâc de materiâ loquendo, rectius dixisset: unice) quod ex iis pleraque rationi quoque, & quæ nobis ipsa natura insevit, principiis, (scilicet per abusum rebus supernaturalibus, quæ rationem omnem transcendunt applicatis, cum ratio forum suum rerum nempe naturalium egredi nullo jure debeat) repugnarent. Non destituit interim eum lingvarum originalium, Hebrææ atq; Græcæ, quin nec aliarum lucem interpreti largientium, cognitio, ut his subsidiis in gloriam DEI uti licuisset. Ingenium quoque ad res pertractandas tantum attulit, ut in admirationem sui doctos faciliè converterit, interque eos Philipp. Melancthonem, quem communis Germania Præceptoris titulo decorare consueverunt, ceu ex commendatitiis abeunti datis literis patet; quandoquidem Philippus pro eo intercessit apud Imperatorem Maximilianum II. & Poloniae Regem Sigismundum, ut Venetiis legati ipsorum personam sustinere posset, ad consequendam ibi paternam hæreditatem, ceu videri potest apud Johan. Hoornbeek. in summâ Controv. lib. VII. p. 564. Pari ratione cum morum integritatis vitæque innocentia -- exemplar omnibus proponere audeat Faustus, in cit. Fragment. duorum scriptor. p. 782. A; sicut solenne est Socinianis suorum jactare pietatem, modo illa posset vocari verâ pietas, quæ non ex verâ fide provenit. Ex Zarnovecii libro contra Socinum refert Hoornbeekius, Lælium hunc præceptorem inter alios habuisse Bernhardinum Ochinum, satisfactionis Christi hostem ex Polygamie defensione vulgò notum: verùm in Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 3. dicitur, factum id non bene intellecto Zarnovecii-loco, cui de Fausto Socino sermo sit; quanquam & eo in passu autorem hunc falli dicat, quia Faustus excepto Lælio nullum habuerit in rebus fidei præceptorem. Quicquid interim sit de hoc ultimo, cum haud malè Hartnacci in Contin. Histor. Eccl. Micraeli p. 960. veterem illam regulam huc applicet: quod unius rei possint esse plures causa; ubi

addo, quod ipse Socinus in *Epist. ad Mari. Vadovitam* T. I. p. 475 ad Ochini *Dialogos* provocet, dicens: in illa est *sententia* (mea de Satisfactionis negatione) aperte expressa: illud certum est, inter amicos *Laelii Ochinum* recenseri à *Polono*, & inter socios ejus ab *Andr. Wiffowatio* in narratione compendiosa junctâ *Bibl. Anti-Tr. Sandii* p. 210. Quod verò ex venenato fonte explicatio s. literarum à *Laelio Socino*, ceu novaturiente falcemque in alienam à studiis Juridicis messem tumide, licet timide, immittente, allata, profecta fuerit, patet ex *Bezae Epist. 81.*, ubi ait: *favit* (*Laelius*) *Serveti blasphemiam, incredibiliter ad contradicendum & varios necestendos nodos comparatus: nec nisi post mortem cognitus-- quâ de causâ mihi quoque non vulgaris amicitia intercesserat. Sed homo erat plenus diversarum haeresium, quas non nisi disputandi causâ proponebat.* Quod *faverit Serveto*, qui *Medicus* erat, haustis in *Africa* a *Muhammedanis* erroribus *Anti-trinitariis Theologiam* reformare ausus, vid. *Scherzer. Coll. Antisoc.* p. 9; non capiendum de singulari *sententiâ* ejus expositione: unde in *Bibl. Anti-Tr. Sandii* p. 9. dicitur, quod is a *cæterorum Unitariorum, qui nunc Socinianorum nomine plerumque audiunt, doctrina discrepaverit*, addito p. 11. sequenti de scriptis *Serveti* iudicio: *haud diffiteor nonnulla talia in eis contineri, quæ à contradictionis implicatione vix excusari queant: verùm generalius respectu negatæ SS. Trinit. & Deitatis Christi, quam blasphemiam evomuit Servetus tum ore tenus per multos annos, tum scriptis, ut libris VII. de erroribus Trinit., de restitutione Christianismi &c., rogo tandè Calvinii instinctu addictus an. 1553. vid. ibid. p. 6, quâ rectissimè procedit assertum.* Quod spectat ad *nodos*, quibus necestendis maximè idoneus fuisse dicitur, tenendum: *Laelium hunc an. 1547, patriâ periculi metu relicta, peregrinationem instituisse.* Nimirum referente *Andr. Wiffowatio* apud *Sand.* p. 210, socii fere 40 institutis an. 1546. de *Religione Colloquiis atque Collegiis, in Italia ditone Venetâ* apud *Vincetiam*, *sententiam de Trinitate Personarum in unâ essentiâ Divinâ impugnare cœperunt.* E quibus cum duo, *Julius Trevisanus & Francisc. de Ruego capti, Venetiis essent suffocati*, cæteri *Italiam* reliquerunt, partim in *Turciam* semet conferentes, partim in *Helvetiam*, quorum precipuus fuit *Laelius Socinus Senensis.* Ex reliquis *Socini* sociis nominantur ibidem *Alciatus, Paruta, Ochinus.* Ille igitur *Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam Universam atque Poloniam* peragravit, & *Tiguri* in terrâ *Helvetiorum* habitationem instituit, quâ occasione

caſione celeberrimis ejus temporis Doctoribus, quibuſcum amicitiam contraxit, errores ſuos, non quidem pro ſua eodem ſententiâ venditando, verùm per modum tantum dubiorum theologorum, quorum expeteret ſolutionem, propoſuit. Vid. *Vita ejus & fragmenta 2. Scriptorum Fauſti Socini Opp. T. I p. 702. b.* Utut verò à paucis ante mortem cognitus fuerit, Calvinus tamen ſubodorari, quid in animo haberet, cœpit. In *Epistolâ* enim ab *Autore vite* in medium productâ, ad peſſima illa, quæ propoſuerat Lælius, ſequentia regerit, quæ utinam in materiâ de Prædeſtinatione aliisqve ipſe obſervaret ! Ita enim Calvinus : *Non eſt, ait, quod expectes, dum ad illa, quæ obſiſti, quaſtionum portenta reſpondeam. Si tibi per aëreas illas ſpeculationes volitare libet, ſine me, quaſo, humilem Chriſti diſcipulum ea meditari, quæ ad fidei meæ ædificationem faciunt. Ac ego quidem ſilentio meo id quod cupio conſequar, ne tu mihi poſthac ſis moleſtus. Liberale verò ingenium, quod tibi Dominus contulit, non modo in rebus nihili fruſtrâ occupari, ſed exitiabilibus ſigmentis corrumpi vehementer dolet. Annectit immediatè ſequentia : Quod pridem ceſtatus ſum, ſeriò iterum maneo, niſi hunc quærendi pruritus maturè corrigas, metuendum eſſe, ne tibi gravia tormenta accerſas. Ego ſi indulgentiæ ſpecie vitium, quod maxime noxium eſſe judico, alerem, in te eſſem perfidus & crudelis. Quæ minæ, quoruſum tendere debuerint, ex *Serveti* ſupplicio, anno interjecto ſecuto, clarum eſſe exiſtimat idem *vite* Autor, addens: quod *Lelii* incredibilia *modestia* iracundiam repreſſerit eorum, qui ſententiam ejus odio habebant, ut *odiſſe hominem non ſuſtinerent*. Imo eò in adulatione ſua progreditur nimio viri iſtius amore captus *Polonus*, ut conſilium ejus approbet de premendâ ſilentio verâ animi ſui ſententiâ, atqve in ſequentia erumpat verba : *ſciant, quos nimia veri libertas in pericula ſapè intempeſtiva præcipitat, ipſam illam, quam propugnant veritatem, in circumſpectâ prudentiæ lenitate, quam in effreni zelo plus habere præſidii.* -- *Lelius* certè inter capitales ſententiæ ſuæ hoſtes manſit integer. Verùm nullius pretii eſt iſta ſilentii planè intempeſtivi excuſatio, nedum effuſa laus ; cùm hominem, ipſis cum Theologis colloquia habentem, non teneri veritatē apertè profiteri eamq; etiam poſt habitis omnibus periculis conſtanter, quantum in eo eſt, tueri, ille demum aſſerere queat, qui flocci pendet Chriſti effatum, Marc. VIII, 38 prolatum : *quemcunqve puduerit mei ac meorum ſermonum in natione hæc adulterâ & peccatrice, pudebit illius & Filium homi-**



nis. Non laudat sanè ingens alias *Læli* istius deprædicator *Faustus Socinus* Patruï sui hoc in passu consilium, sicut patet ex *Fragment. p. 782. Institutum suum, inquit, amicis non usque adeò probari sentiebat, (Lælius) quibus dum obsequi recusat, non sine DEI consilio vir summus immaturâ morte sublatus, quod mox patefieri cœpit, cum statim ferè post mortem ejus eorum, quæ ipse palam docere non audebat, pars aliqua & licetis consignari & passim divulgari est cœpta, id quod eo vivente nunquam fortasse contigisset, amicis ex iis quæ ipse scripserat, quod apud eum laterent, non adhuc planè edoctis, & adversus Præceptoris voluntatem aliquid eorum quæ ab ipso didicerant, in vulgus prodere minimè audentibus. Literas ejus, in quibus heterodoxam mentem tegere, etiam symb. Nic. approbando, quærit, videre licet apud *Hottinger H.E. sec. XVI. p. 41. & G. Arnold. Kircken und Reher Historie P. II. sec. XVI. c. 33. S. 14.* Neque enim apud omnes Lælium mentem suam occultasse existimandum est. Nam teste *Polono* adducto, quibus visum est, sententiam suam indicavit, Italis præcipuè suis, qui Patriâ relictâ per Germaniam & Poloniam dispersi erant; quemadmodum & in Poloniâ *Franc. Lismanino* abjiciendæ vestis monasticæ svasor fuisse asseritur & fratres in suam pertraxisse opinionem. Interim ann. 1559 circiter ob suspicionem hæreseos frater Lælii *Cornelius* captus fuit. *Celsus* verò, *Camillus*, & *Faustus* fratris *Alexandri demortui* filius unâ cum aliis familiaribus eorum perculsi sunt aut fugati: ex quibus *Faustus* per aliquod tempus *Lugduni* in Galliâ vixit, Lælio *Tiguri* an. 1662. ætatis verò 37. demortuo. Scripta ejus quænam sint, partim edita, partim manuscripta, videri potest in *Gethofr. Voigtii Catalogo libr. Socinianorum & Arianorum novellorum*, qui reperitur ante ejus tractatum inscriptum: *Imago SS. Trinitatis*, & plenius in *Sandii Bibl. Anti-Trin. p. 20. seqq.* (edita post mortem ejus an. 1684, quæ longè imperfectior à *Sev. Walch. Sluero* evulgata est in *propylæo Hist. Eccl. p. 273. seq. A. 1696*, prout sc. ab ipso Sandio Autori quondam communicata in msc. fuit) ubi indicatur, quod illa explicatio *Initii Evangelii Johannis*, quæ à *Voigtio*, ut & *Zanchio*, *Bezâ*, multisque aliis *Lælio* adscribitur, à *Fausto Socino*, quæquam à *vooumas*, consignata fuerit.*

§. III. Cognatus Lælii, *Faustus Socinus* anno 1539, & sic 14. circiter annis post Lælium, Senis in lucem editus est, Patre *Alexandro Socino*, *subtilitatum Principe*, *Præcipuo* teste, vocato, Matre *Agneta*, *Burgesi*

gesti Petruccii, principatum quondam senensem tenentis mox ta-
men inde pulsi, filia. Non permittit instituti ratio majores, co-
gnatos atque affines Socinorum recensere, quod abundè præsti-
tum reperiet, cui vel vitam Socini à Przipcovio, vel vitam Andr.
Wissowatii, (Socini ex filia nepotis) ab anonymo consignatam legere
volupè erit. Ultimus autem ex hisce autoribus adeò sibi à lau-
dandi cæstro temperare non potuit, ut Paparum (quos alias ceu
Anti-Christum maximè abominantur Sociniani) illorum, qui
cognitione Socinum attingunt, nempè *Anea Sylvii* sive Pii II,
Pii III & Pauli V maximà cum laude mentionem faciat. De primo
verba leguntur sequentia: *Aneas Sylvius, seculi ornamentum, qui ad
sublimem Pontificis Maximi dignitatem evectus, dignum meritis premium
reportavit, assumto sibi convenienti Pii II. nomine; ubi nobis in men-
tem venit, benè Papam inter laudatos Socini cognatos legi, non
obstante, quod alias apud ipsum Socinum malè audiat, cum idem
seductor, etsi in doctrinam Papæ ceu anti-christianam magnope-
rè invehatur, reverà tamen illum cognitione spirituali, sive do-
gmatum & fidei, variis modis attingat, quâ de re videri potest B.
Calov. Socinis. proflig. sect. I. m. 2. quasi. 3. p. 41, & in der völligen Ent-
deckung p. 17. P. I. c. 8.* Sed redeamus ad vitam Socini. Postquam
ille juventutis suæ annos ita bene collocaverat, ut ipsemet, *levissimè
& omni præceptore deficiente bonarum artium studiis sese operam impendisse,
Philosophiam non didicisse, nec scholasticam Theologiam unquam attigisse, &
ipsum logicæ artis nil nisi rudimenta quædam, idque valdè serò degustasse,
fateatur; unde eum Parentibus orbatum fuisse existimat Przipcovius,
atque sic ad annum usque 23. ætatem suam exegerat, auditâ Lælii
morte Lugduno Tigurum advenit, libros imprimis Patru sui
accepturus, à quo pessima jam ante hauserat principia, recordatus
procul dubio effati Lælii, quando dixerat inter amicos: tradita
illa plenius ac feliciter à Fausto orbi prodenda esse. Reverfus tamen ni-
hilominus in Italiam, duodecim adhuc annos in aulâ Florentinâ
favore Ducis Francisci fuit retentus, quâ de causa perit ipse tum, ut
ipse conquestus est, *florentissima pars ævi.* Anno verò 1574. ætatis
35. omnibus aulæ delitiis relictis, Basileam se contulit, triennium
eudendo Theologiæ novæ systemati invigilavit, atque ad Scriptu-
ræ S. perverfam pro dolor! *intelligentiam Lælii Patru scriptis & pluri-
bus ab eo sparsim relictis notis, multum adjutus, quæ verba sunt Przipcovii,
sententiam suam omni nisu propagare quæsit.* §. IV.*

§.IV. Audivimus, qualis fuerit, cum ad reformandum accederet Socinus; audiamus quoque, quale de hisce rebus iudicium afferat effusus in laudes ejus vitæ scriptor. Ille instituta circa finem vitæ Socini inter eum atque Lutherum, deinde inter eundem atque Ignatium Lojolam comparatione, hujus facta illorum gestis longe præponit. Sic enim loquitur: *Lutheri & aliorum animi magnitudo plausu mox & studio Principum ac populorum excepta est. Et paulo post: Ignatius quoque (Lojola) majorum nostrorum memoriâ, patriam, agnatos, opes, honores & alias illecebras contempserat, multos quoque labores, multa discrimina ultra subierat, zelum gloria DEI & fidei militiam professus; Non despicio animi magnitudinem, quæ in eo aut nonnullis similibus apparuit. Neque enim prorsus molli itinere ad gloriam contenderunt. Sed nondum hic video illud magis arduum, quod querimus, nobilioris fidei specimen. Cum autem perciperet, autodidactos merito novitatis suspectos esse, ad illum scopulum declinandum, forsitan, inquit, expediebat, natum ut de dogmatibus orbis cognosceret ingenium, nulla delibari præjudiciis, nequam errorum fibrâ admitteret. Imo frustraneam existimat esse ipsam Socini institutam de temporis jacturâ querelam, dicens: si modo perisse censenda est (pars ævi) - in quâ ille juvenilis æstus deseruit, qui plerumque magna in magnos lapsus præcipitat ingenia. Verum quomodo a præjudiciis liber vocari potest, quem ingenii præstantiæ confisum, jactabundi Patruï vox ad gloriam ab ipso prædictam consequendam extimulavit, quem præjudicium autoritatis Patruï, & implantatum ab eo rationis humanæ præclaris Scripturæ S. assertis æstimium maximè dementavit? Sic enim de Lælio suo Faustus hic in *Fragm. p. 782*, multa mihi de eo dicenda forent, ait, ut unicum fortassis hæc ætate nostrâ - maxime (s. literarum peritiæ, divinorumque oraculorum intelligentiæ exemplar omnibus proponerem. Pertinent huc ea quoque verba, quorum in *Præf. nostrâ* mentionem fecimus. Neque satis exprimi potest, quantâ cum audaciâ hic Socinus Patruï vestigia sequi, & adhuc juvenis, non obstante sufficientis cognitionis ac studii defectu, totum orbem Christianum plurimorum errorum accusare gavisus fuerit. Audire hæc de re placet acuta B. Carolii verba germanica, quando in *der Entdeckung P. I. c. 2. quest. 2.* inter alia ait: *wiewol er schon im 22. Jahr seines Alters (ad summum 23. Tribuit enim sibi Socinus explicationem illam Job. in Epist. I. ad Andr. Dudibium, quæ reperitur Tom. I. Oper. p. 497. A. scripta an. 1580, dicitque, quod jam ante 18. annos prodierit. Jam si repetatur,**

tur, natum esse Socinum 1539, facilis est supputatio) da er noch den Rechten obgelegen / die schändliche Verkehrung des Evangelii Johannis (doch ohne Meldung seines Namens) durch öffentlichen Druck hervorgegeben. Von welcher er selbst bekennet / daß nicht allein zu seiner Zeit / sondern von viel hundert Jahren her dergleichen ganz unerhöret sey. Dazumahl hat dieser verdorbene Jurist schon dürffen in die Welt schreiben: daß viele Dinge in Glaubens-Sachen wären / darin die ganze Christliche Kirche verblendet. Habentur hæc ultimo citata Socini verba in *præf. Explicat. memoratæ Tom. I. Oper. p. 75*, ac ita sonant: *Multa profectò sunt, in quibus adhuc Christianus orbis cacuit, & plura fortasse, quam quis vel credere vel etiam cogitare possit. Nemo sic mirari potest, proclivem fuisse Faustum ad omnia religionis capita pro placito suo mutanda, quemadmodum etiam non substitit in uno vel altero Ecclesiæ dogmate pervertendo; sed ex suo ingenio per totum Theologiæ complexum nova invexit placita, à prioribus quoque; Anti-Trinitariis maximè recedens. Alia B. Luthero mens erat, qui rationem suam libentissimè captivabat sub obsequium fidei, Anti-Christum non tali animi magnitudine aggressus, qualem in ipso etiam Lojola, acerrimo Anti-Christi, juxta proprium Socini judicium, defensore, æstimat Præpocovius atque laudat. Illa enim ad religionis negotium nihil pertinet, neque ex spiritu DEI provenit sed mundi; indeque Job. Hoornbeekio summa Contr. p. 567. valdè arridet instituta à Polono illo Lojolam inter atque Socinum comparatio, quando sententiam suam ita exprimit: non inepta comparatio, uterque novæ sectæ autor fuit æque execranda, in cujus gratiam pari studio visi sunt patriam, opes (si quas fortè habuerunt) & secularis vitæ nobilitatem deseruisse, eundem gloriæ DEI zelum & fidei militiam professi. Sed revera, uti Autor hic ipse prodit, animi magnitudo & gloriæ cupido eos egit in novas erigendas religiones; in Socino quidem eò major, quo alterius etiam fidei typum, vel nobilioris fidei specimen, quemadmodum Autor loquitur, excogitavit. Videlicet utriusque par debetur ab omnibus & gloriæ merces. E contrario in B. Luthero inculpabilis erat ad solam divinæ omnipotentiae, justitiæ atque gratiæ laudem tendens veritatis amor, solidaque ex DEI virtute profecta constantia, quâ impellebatur ad purum ac clarum Verbum DEI, etiam cum vitæ suæ ac famæ dispendio defendendum, etiamsi à toto mundo desereretur, rationemque captivare teneretur; quale*

D

quid



quid neque de *Lojolâ* Papæ adulate, neque de *Socino* rationi suæ blandiente, ullo jure dici potest. Deinde non frustranea est, ceu quidem *Præpocius* censet, *Socini* de facto temporis nobilissimi dispendio querela; quoniam, si miserrimus mortalium institutione intereâ usus esset virorum verbum divinum absque rationis suæ dictamine sequentium, non potuisset in tot tantasque semet pariter ac affeclas præcipitare errorum syrtes. Imo, si omnis bona institutio retrahere hominem potest ab amore vitiorum, ad quæ alias nativâ fertur inclinatione, quemadmodum ex *Socratis* confessione constat; quidni posset efficacissima verbi divini virtus, in genuinâ ejus consideratione sese exserens? Cæterum id certum est, talem naturæ ac exercitationis beneficio fuisse *Socinum*, ut vix potuisset alius ad invadendam *Christi Ecclesiam* aptior accedere: quâ in re consentit nobiscum *Job. Eduardus* in *Præserv. contra Socinian.* (vid. A. E. an. 1694. p. 473.) dicens: *Sobrium illum ad everrendam religionem accessisse.* Atque hoc etiam in passu non malè expressit antecessorem suum *Photinum*, de quo vid. *Vincent. Lirinens* in *Commonitorio* p. 331, & celeberrim⁹ *Dn. D. Irigius* in *append. ad tract. de Hæresiarchis* p. 437. Ingenium enim ejus fuit præstantissimum. Judicium ex malæ causæ subtili defensione sufficienter patet. Eruditio ex diligentia, etsi sero adhibitâ, accessit haud vulgaris. Memoria adeo gavisus est egregia, ut quondâ 50 argumenta simul proposita iterum recitare valuerit. Ad iram quidem naturâ fuit propensus; verum eandem, prout utilitas exigere videbatur, unâ cum aliis affectib⁹ mirâ arte domare didicit. In cibo ac potu capiendo, reliquisque voluptatibus fruendis vixit moderatus. Non defuit summa in ferendis adversis ut & statu paupere patientia, magna cum constantiâ ad propositum obtinendum & adhibitâ cautelâ conjuncta; quin & prospera ut plurimum valetudo, quâ de re conferri potest *vita* ejus scriptor.

§. V. Dum propagare errores suos fervidè conatus est *Socinus*, (licet ille, ut hæresiarchæ titulum commodius declinaret, in *epist. ad Mart. Padovitam Op. T. I. p. 475, semet alios religionis docendâ provinciam nunquam suscepisse, impudenter dicat; quasi qui tanta volumina scribit, nihil docere velit!*) Disputationem de *Jesus Christo Servatore*, ex throno scilicet suo, quantum in ipso erat, detrudendo, cum amicis & inimicis ore habuit, nec minus scripto adversus *Jacob. Code-*



tum, Parisiens. verbi inter Reformatos ministrum, composuit
 Contrà Franciscum Puccium quoq; de statu primi hominis ante lapsum, disputa-
 tionem scripto habuit. Notus suis artib⁹ redditus à Georgio Blandrat à
 Archiatro, cujus tunc in illis Ecclesiis & apud rerum potentes Principes
 Batthoreos magna erat autoritas, in Transylvaniam evocatus est, ad
 sententiam Francisci Davidis, ibi locorum inter Unitarios Superin-
 tendentis, qui Jesum tanquam nudum hominem adorandum esse
 negabat, refutandam. Ille igitur, instituto Claudiopoli colloquio,
 opus aggressus est, hoc eventu, ut Francisc. Davidis, cum à tam
 turpi & pernicioso errore, ceu vocatur à Przipcovio, (licet ille utique
 ex Socini de merâ Christi humanitate hypothese per se ac neces-
 sariò fluat,) retrahi non posset, verum & pro suggestu eundem
 proponeret, carceri mox Principis Transylvaniæ jussu sit manci-
 patus, in eodemque animam efflaverit. Quod longe majori odio
 Davidis istius hypothese, ceu semi-judaicam, quam nostram de Chri-
 sto sententiam, prosequantur Sociniani, satis patet. Vid. etiam
 Wiffowacius apud Sandium Bibl. Anti-Trin. p. 213. Magnam interim istam
 obrem eorum, qui Davidis partes tenebant, Socinus expertus est in-
 vidiam. Excusare quidem Socinum a suspitione culpæ incarcerationis
 Francisci Davidis tentat Przipcovius sequentibus verbis: quasi Ma-
 gistratus ille ita fuerit causa Socini adductus, ut ipse sive cujusquam ex eodem
 hominum genere arbitrio stringeret arma sue potestatis; verum vix assen-
 sum ab amicis Davidis obtinere poterit, quia paulò ante dixerat:
 Blandrate, qui evocaverat Socinum, magnam apud Principes fuisse autorita-
 tem; id quod ipse Socinus claris verbis indicat, in Epist. Dedicat. Di-
 sputationis cum Fr. Davidis Bibl. Unit. Tom. II, p. 711. dicens: quem
 plurimum apud Principem posse omnes norant. Neque juvat causam illam,
 quod addit Przipcovius: Si quis forte à Socini causâ non alienus -- autor fuit
 Principi acerbioris in Franciscum consilii, ejus certè culpam Socinus prestare non
 debuit. Nam utique Socinus, si non obstitit consiliis istis dissuadendo,
 causa sortis adversæ Francisci fuit moralis. Disputatio Socini cum
 Francisco habita, licet eo superstite conscripta, 15. demum post annos vix in
 lucem prodire potuit, dicente Przipcovio, quæ quidem res ansam præ-
 bet sinistra quædam suspicandi. Non una tamen hæc fuit, quæ So-
 cino cum iis, quorum audiebat frater, de adoratione Christi interces-
 sit controversia. Job. Niemojevius (qui a Sandio Niemojovius dicitur)
 enim in Epist. ad eum, quæ reperitur inter opera Soc. Bibl. Unitar. Tom.



L. p. 398, Socinum ita alloquitur: *Videris mihi paucis verbis optimam sententiam-- quasi in dubium revocasse-- quæris quid sit, quod tantum malum secum importare possit? breviter respondeo: Verba illa, quæ sæpius addis: Christum Dominum invocare possumus, sed non debemus, sive non tenemur &c., ruinam negotio causæq; tuæ minantur.* Ad quod respondens Socinus p 401. B, distinctionem facit inter adorationem & invocationem inter alia sequentibus verbis: *Adorat is, qui corpus aut animum alicui reverenter inclinat--etiamsi nihil ab eo petat; inuocat autem is, qui in necessitate constitutus--confidenter alienam opem & benignitatem implorat, hisque prolati, adorationem concedit necessariam esse, invocationem non item: cum etiam à DEO Patre bona desiderata obtinere queamus.* Verum tota res innititur falsæ hypothese de negatâ DEitate & Satisfactione Christi. Et quis alius est intercessor apud Patrem, nisi Iesus Christus? qui est & propitiatio pro peccatis nostris, æq; ut pro peccatis totius mundi, 1. Job. II, 1. 2. Afferere itaque, non necesse esse talem invocare, est cum ratione insanire. Ipse *Stichtingius Com. in Epist. ad Rom. cap. X, v. 13, hic locus, inquit, aperte docet, non minus necessarium esse ad salutem consequendam, ut Christum invocemus, quam ut in ipsum credamus.* Si autem hic homo est DEUS personaliter, ut alibi probatur, quis non eodem modo necesse esse dicat invocare Filium, ac Patrem?

§. VI. Pertæsus invidiæ Socinus in Transylvania contractæ, jam quadragenarius Poloniam petiit, ubi *Ecclesiæ polonicæ, quæ solum Patrem Domini Jesu summum Dominum agnoscunt, publicè adjungi ambivit; sed cum dissensum in quibusdam dogmatibus; (qualia à Wissovatio in narrat. comp. apud Sandium p. 214, postquam dixisset, accidisse illa in Synodo Racoviensi an 1580, nominantur sequentia: De satisfactione Christi, de justificatione sine omnibus operibus, de prædestinatione ac seruo arbitrio, & de Baptismo aqua) non premeret, satis acerbè atq; diu repulsam passus est, dicente Przypcovio, nec, ceu addit Wissovatius, ad S. Synaxin admittitur.* Ignominiam tamen repulsæ minimè accensus Socinus, adversarios eorum, à quibus non erat admittitur, suo ingenio impugnandos sumpsit. Primùm contra *Andr. Volanum, Calvini assectam, de Christo & satisfactione scripsit. Mox contra Jac. Paleologum, Davidis fautorem, sub titulo: Defensionis sententiæ de Magistratu pro Racoviensibus, calammum strinxit. Ad Collegii quoq; Polonianiensis Theses Trinitatis SS. hostibus oppositas respondit. Tum accu-*

accu-

accusatus est apud *Stephanum* Poloniae Regem, ac si liber *Palaeologo* oppositus seditiosa contineret; atque exinde *Cracoviã*, ubi per quatuor ferè substiterat annos, ceu non satis tuta, relictã, *Paulicovium* petiit, locum *Cracoviã* propinquum, ibique per triennium commoratus est, ductã etiam *Christ. Morstinii* Nobilis, loci illius Domini, Filiã *Elisabethã*. De libro contra *Palaeologum Przipovius* quidem asserit, quod sola ejus inspectio pro Socino loquatur; verum ipse Socinus tamen in *Prefat. Operis sui*, primùm celato nomine editi, *Palaeologum* ob nominatos, contra quos scripserat, *Racovienses*, increpat his, inter alia verbis additis: *Non ignoras, quam necessè sit, ut ipsi Reges, in quorum manu vitæ nec usq; nostræ imperium DEUS posuisse dici potest, illi sententiæ sint infensi.* Conscriptis interea tum aliis tum præcipuè libro contra *Eutropium*, anno 1587. & filiam *Agnetem* vidit, & amisit uxorem; gravi inde morbo infecuto, eademque ferè tempestate fructu bonorum suorum ex Italiã, quem quotannis adhuc ex singulari *Francisci Magni Ducis Hetruriae* gratiã ceperat, illo demortuo privatus est. An. 1588. ad *Synodum Brestensem*, (quod oppidum est in *Lithuania* finibus) se contulit, ac majori quam antea, conatu & fructu suas opiniones, de quibus ante dictum, contra alios Unitarios defendit. Maximum ipsi in vincendis reliquis auxiliũ præstitit *Petr. Stoinius*, eodem anno cœtui Unitariorum *Luclaviciano*, ceu Ecclesiæ minister, præfectus, quia is ad populum facundiã suã movendum erat aptissimus. Præter *Stoinium* & alios ex præcipuis in suam sententiam pertraxerat Socinus, inter quos excellunt tres fratres *Lubieniecii*, *Andreas*, *Stanislaus*, *Christophorus*, secutis pluribus, ex quibus *Nicolaum Zitinium* in vicem exempli maximè memorabilis producit *Przipovius*, quia is in *synodo Lublënensi* an. 1589, cum sententiam Socini de *Cap. VII. Romanor.* (quod ibi intelligatur homo divinæ gratiæ expertus, vid. *Bibl. Unitar. Tom. I. p. 89*; licet illud utique contra clara verba vers. 14, 15, 22, 25. pugnet) refutandam suscepisset, durante disputatione mentem mutaverit, Socinumque paulo ante adversarium suum defenderit, attonitis reliquis, causaque Socini casu illo haud parum promotã. Præcipui, qui adhuc Socino adversabantur, erant *Viri maxima autoritatis*, *Niemojevius* & *Czechovicus*, dicente eodem *Equite Polono*, quamvis addat paulo post: quod tantum opinionibus, non etiã odiis, homines illi pugnaverint, & cum aliis aliorum sententias detestarentur, sese tamen mutuo minimè damnarent. Specimen



controverſiæ ejus cum Niemojevio de Invocatione paulo antè exhibui-
 mus, & aliud de uſu & fine cænæ Domini videri poteſt in Socini reſpon-
 ſione ad Epist. ejus Bibl. frat. Polon. Tom. I. p. 756, ubi inter alia ſeqven-
 tia leguntur inſerta Niemojevii verba: *Fateor, meam ſententiam tantum
 diſtare ab opinione D. Socini, quantum cælum à terrâ diſtat.* Et paulò poſt:
*Quod ad cænã Domini attinet, id cogor dicere, me neminem hæcenus legis-
 ſe, qui adeò contemptim hæc de re ſentiat.* Porrò quoad materiam de
 morte Chriſti, in Epist. jam ante alleg. ad Socinum, quæ exhibetur l. c.
 p. 397, ita loquitur Niemojevius: *Non ſine mærore, (ne quid gravius ad-
 dam) incidi inter legendum in quodam paradoxon Scripturæ S. contrarium
 ac planè horrendum, dum Chriſtum in morte ſeu in cruce ſacrificium obtuliſſe
 pernegat -- pronuncians: Dominum JEſum Chriſtum non in arâ crucis, ſed in
 ipſo cælo ſacrificium obtuliſſe.* Verum teſte Przicipio, Niemojevius tan-
 dem pleriq; in rebus Socino aſſenſus, ſemet erraſſe confeſſus eſt; quâ de re
 audiri poteſt ipſe Socinus Bibl. Unit. p. 115, ubi ſermo eſt de Cap. VII. Ro-
 manor; & Bibl. Anti-Tr. Sandii p. 49, ubi recenſetur, quod primo Chri-
 ſti ante nativitatẽ à Maria exiſtentiam defenderit, ſed poſteà So-
 cini partes ſuſcepit. Solus tamen Czechovicus, quamvis & ille, relicta
 de præexiſtentiâ Chriſti ſententiâ, hoc in paſſu Socini mentem ap-
 probaverit, durus permanſit. Et licet potiori parte Socino jam fa-
 vente ad cætera agrè quidem, ſed tamen utcunq; conniveret, paulò poſt
 in ſententiâ de Baptiſmo cære turbas, dicente Polono, cœpit. Nonnulla
 eâ de re videri poſſunt Bibl. Frat. Pol. Unit. Tom. I. p. 748, ubi rectè Cze-
 chovicus Baptiſmum fidei ſigillum vocat contra Socinum. Turbæ ta-
 men illæ citò ex voto Socini ſopita, poſteà ſuapte ſponte evanuerunt. Socinus
 in peculiari Diſput. de Baptiſmo aquæ, quæ reperitur l. c. p. 709. ſeq.,
 ſententiam ſuam damnabilem ita exponit: *omnia Evangelista-
 rum & Apoſtolorum ſcripta diligentiffimè perquirens, nuſquam nec apertis
 verbis baptiſmum aquæ externum omnibus in perpetuum, qui Chriſtiani eſſe ve-
 lint, per aquæ præceptum eſſe invenio, nec aliquid dictum, ex quo eam ſenten-
 tiam elici omnino debere aut poſſe, appareat, quaſi nuda hæc Socini αὐτὴν
 rem clarã dubiam redderet.* Objectiones Czechovicii contra ex-
 plicationem Cap. I. Johann. à Socino factam ad hæc verba: *erat apud
 DEUM,* (nempe λόγος) quaſi idem notarent, ac: erat ſoli DEO
 notus; quæ utiq; ſi ulla alia, violentiſſima eſt clarorum verborum
 detorſio, legi poſſunt Bibl. Unit. p. 85. b. Ita Socinus repulſam ini-
 tio paſſus, cunctando reſtituit rem, ut inter illos, qui eum recipere
 dedignati

dedignati erant, vivus adhuc obtineret principatum, sententiis
 ejus ubique approbatis. Cracoviæ interim, ubi nunc iterum de-
 gebat, variis sæpè contumeliis affectus fuit, sed præcipuè post li-
 brum *de Servatore*, procurante Eliâ Arcisevio ipsoque consentiente,
 typis exscriptum, ita ut tandem an. 1598, à furente plebe ex do-
 mo suâ per plateas raptus, vix vivus, opem ferente Mart. Vadovitâ
Professore Cracoviensi, evaserit, direptâ suppellectile atque scriptis.
Epistola Socini ad Vadovitam de illo casu legi potest in *Bibl. Unitar.*
 Tom. I. p. 475. Quamobrem *Luclavicias* metu ulterioris periculi
 migravit 9. milliaribus à Cracoviâ, ubi etiam anno atatis LXV:
 est extinctus. *Ultima*, teste Polono, *morientis vox excepta*, *se non ma-*
gis evi quam invidia & molestiarum saturum, lætâ atque intrepidâ spe propen-
dere in supremum illum sati sui articulum, qui missionem ab æumnis simul &
laborum stipendium ostenderet. Digna sanè tali homine clausula, quæ
 Justificationem in obedientiâ nostrâ mandatis divinis præstitâ,
 collocare ausus est, quem articulum, tanquam principalissimum
 Socinianismi, recenset *Val. Alberti Interesse Rel. Protebor.* §.7. Paulus
 in contrarium *Rom. VIII, 13, reor*, inquit, *minimè pares esse præsentis tem-*
poris perpeffiones, gloria in nobis revelande.

§. VII. Quid gesserit quidq; præstiterit *Socinus*, unde patet,
 qualis sit doctrina ab eo tradita, paucis relaturus vitæ ejus scri-
 ptor, primò provocat ad *Scripturæ* in tot locis expositionem, dein-
 de ad sententiæ *de Deo atq; Christi personâ*, jam in *Poloniâ* vigentis, de-
 fensionem. Mox, *Nemo*, pergit, *acrius Judaizantes repressit: idem Chi-*
liastarum opinionem: idem multa præterea alia sanatica somnia explofit.
 Tunc porro ad dogmata *Socini*, ab aliis ejus temporis *Anti-Trinita-*
riis diversa progressus, extirpasse eum gloriatur errores, qui à *Re-*
formatis Ecclesiis hausti magno adhuc numero in eâ *Ecclesiâ* regnabant, nem-
 pe: *de Justificatione, de placanda Justitiâ DEI, de Prædestinatione, de servi-*
tute arbitrii, de peccato Originis, de Cænâ quoq; Domini, de Baptismo, & alia
snistre intellecta dogmata. Ultimo loco & alia annectit, dicens: *Super-*
stitiones plurimas circa res indifferentes exterminavit. Ex hoc genere fuit ni-
mia vilis vestitus ambitio, deinde capessendi Magistratus, aut etiam citrà vin-
dicta studium sui juris persequendi religio. Operum, quæ scripsit Socinus, hic
 annecteremus catalogum, nisi eundem ex *Sandii Bibl. Anti-Trin.*
 facili negotio petere liceret.

Sect.



De Antecessoribus Socini,

§. I. Sicut facile patet ex ante allatis, non posse aliquem nominari Socinorum vel antecessorem vel præceptorem, qui omnes eorum abominandas sententias defenderit; ita tamen certum est, quoad hypotheses pestiferas de *hominibus*, *Pelagium* illis prævisse, quoad eas vero de satisfactione, *P. Abelardum* Sec. XII. stellam errantem, vid. *Bernh. Ep. ad Innoc.*, *Abel.* ipsum *Comm. in Rom. III, 14*, & *Gvil. Nichols in hist. Soc.* Neque etiam negari potest, quoad dogmata, ad quæ communiter h. l. solet respici, de SS. Trinitate & Deitate Christi, Socinos *Antitrinitarios* vetustiores fuisse secutos. Conf. *Spanhem. elench. controu. p. 144*, dicens: quod Socinianismus a *triplici hereticorum genere haustus sit, Anti-Trinitariis, Pelagianis & Abelardianis*. De primo autem genere adhuc quædam adducere placet. Non immeritum hic multis in deducendo eo, quod Satan primus sit autor pestiferæ illius Sectæ, qui omnium autor est hæresium. Sane, merito ab orthodoxis, stantibus suis hypothesebus, (quæ immoto verbo Divino sunt innixæ,) id asseri, concedere tenentur *Sociniani*: quia illi è contrario effreni linguâ in sanctissimam nostram, rationis magisterium aspernantem, doctrinam debacchari haud verentur, prout ante percepimus. Breviter tantum considerabimus, *partim*, quod nefarii Sociniani veros suos antecessores mox pro suis agnoscere nolint, mox autem effuse laudent; *partim*, quod S. Scriptores, & quodammodo etiam Viros Ecclesiasticos ab antiquitate pariter ac orthodoxia commendatos, in castra sua obtorto collo trahere laborent.

§. II. Cur non ad *Simonem Magum*, hereticorum omnium principem, confugiant, qui Patrem & Filium & Spiritum S. diversa tantum esse ejusdem Personæ nomina pro diversâ ejus operatione, docuerit, quærit adducto *Danao in Augustin. de heres. p. 45. seqq. D. Val. Alberti in Interesse Relig. Christ. Art. II. th. 2. §. 11.* De errore illo *Simonis* conferri potest *Irenæus adversus hereses l. 1. c. 20*, & ex recentioribus *Celeberr. Dn D. Ittigius in Dissert. de Hæresarch. l. & II. Seculi p. 24.* Ast *Sociniani* non solum *Simonem* pro suo agnoscere nolunt; verum interdum quoque alios minus vulgo notos & contemptos hereticos ex Patrum suorum familiâ, quantum in ipsis est, delere conantur. *B. Schertzerus,*
post-